



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 40. Fœderis pacta inter Carolum V. & Henricum VIII. adversus Gallos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

veret, Ducatum vero Mediolanensem, Sæcul. XVI.
A. C. 1524.
cujus esset, Francisco I. cederet; cum
magnum inde sibi nomen acquireret, a
cunctis tanquam Princeps pius, & Cæ-
sar vere Augustus proclamandus. Ve-
rum Imperator perperam persuasus, sub
speciosis hisce monitis perversa latere
consilia, Legatum responso minus bene-
volo excepit. Præterea, ne Clemens
Papa apud Angliæ Regem pii sui con-
sili optatum nancisceretur successum,
Volsèji Cardinalis ambitio obstabat; nam
hic Anglo auctor erat, ut secreta cum
Borbonio Duce foveret consilia, ejusque
ope pristina Majorum suorum jura in
Franciam resuscitaret: aliunde enim e-
tiam Cardinalis ægre ferebat, quod
summus Pontifex hujus pacis concilia-
tor esset; nam hanc gloriam soli Regi,
ejus Domino per universam Europam
adscribi ambiebat.

§. XL.

*Fœderis pacta inter Carolum V, &
Henricum VIII. adversus
Gallos.*

Hunc in finem Henricus Anglorum *Mem. du Bel-
lai l. 2.*
Rex novum fœdus cum Cæsare pe-
pigit, his conceptum articulis. I. Bor-
bonius Dux cum exercitu Provinciam
invadat, ut eo expeditus illi Hispano-
rum

Sæcul. XVI. rum classis in Genuensi portu hærens
A. C. 1524 succurrere valeat, quæ Borbonio si in
interiora Franciæ penetraret, inutilis
foret. II. Anglus Duci singulis men-
sibus centum aureorum millia in sum-
ptus belli suppeditet, ea lege, ut si ipse
a prima Julii die usque ad finem De-
cembris cum potenti exercitu in Picar-
diam transfret, ab hujus summæ solu-
tione liber sit; si itaque hæc conditio
Regi placuerit, Belgii copiæ eidem sese
conjungant, urbiumque Gubernatores
præter quatuor peditum millia neces-
saria subministrent tormenta. III. Cæ-
sar eodem tempore ex Hispaniæ finibus
bellum Aquitanniæ inferat. IV. Ad
suppetitandos belli sumptus Papa, ce-
terique Italiæ Principes sollicitentur,
eisque exponatur, quod Gallos a reditu
in Italiam longius arcere, illorum plu-
rimum interesset. V. Compellatur Rex
Franciæ ad reddendas Borbonio Duci
cunctas illius dignitates & bona, ac ipse
etiam in suas ditiones reponatur, regno-
que Arelatensi augeatur, ea tamen lege,
ut ob illud Angliæ Regi clientelare ob-
sequium profiteretur, eumque ceu ve-
rum Galliarum Regem agnosceret.